



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Cornelio Dossintaeo, Nob. Adolescenti Xenivm Romae. Clarum nomen foris aduenire. Neminem enim (vt dicitur) prophetam in patria. Vndè magnanimus in iuene peregrinandi consilium aplissimis effert ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

Diffita terrenis contendi scandere plumis,  
 Heu! vndè despecto mei turbida fata soli.  
 Franciscus tamen extorri solatia Princeps  
 Donat, tuæquè FABRICI, nectar amicitiaë:

CORNELIO DOSSINTAE O,  
 NOB. ADOLESCENTI XENIVM ROMAE.

*Clarum nomen foris aduenire. Neminem enim (ut dicitur) prophetam in patria. Vndè magnanimum in iuvene peregrinandi consilium amplissimis effert verbis.*

O D E XIV.

Fama silet quæsitæ domi: sonat acta sub auras  
 Trans mare, trans confinia regni,  
 Natales exosa lares, nidumquè paternum.  
 Nec vati benè creditur vlli,  
 Si canit in patriâ. Fraudem Cassandra Pelasgam  
 Vana fide intra Pergama dixit:  
 Ast Helenus procùl expediens oracula frater,  
 Visus erat Grynæus Apollo.  
 Idcirco genitor cultas Romanus Athenas,  
 Inquè vicem pater Atticus urbem  
 Visere gaudebat doctâ sub Pallade natos.  
 Heredem sic Cæsar adoptat.  
 Non Ithacam tulit, impatiens abscedere Vlysses,  
 Materiam facturus Homero  
 Iliadî affinem. Pingunt gesta ardua libros.  
 Iane, tuis gratare Calendis  
 Egregio iuueni, quem clara Britannia mittit,  
 Haud vsquàm inferiora secuto.  
 Quamuis mille domus præsentet commoda felix;  
 Ille tamen sibi Tantalus vltro,  
 Fortior oblati, aliò conuerrere vultus,  
 Ac mentem potuit dare Musis.  
 Iamquè vbi lustra virens implet vix quattuor ætas;  
 (O sitis, ô præclara cupido

He-

Heröum, atquè operum magnorum ! ) ardentius instat  
 Externas ditare per vrbes  
 Et mores animum solers . Iam Gallica pridem  
 Aula vagum formauit alumnum ,  
 Nobilibusquè auxit monitis ac dotibus . Indè  
 Hetruscas perrexit ad oras  
 Meccenatis amans, genio mirè æmulus alto :  
 Fortè etiam remeabit Achatas  
 Augusto ipse suo . Nequè enim pars parua merendi  
 ( Quippè fidem Rex respicit exul )  
 Dossintæus erit genitor, Vencotria mater ;  
 Vtraque gens complexa Senatam .  
 Mens eadem nato diuinitùs incidit erga  
 Seu patriæ, seu regis honores .  
 Hunc tu, Iane pater, meliori conspice fronte ,  
 Quaquè vides ventura, doceto  
 Mense foroquè tuo, cunstantem Martis in vrbe .  
 Intereà Capitolia iustret  
 Te duce, perdiscatquè viam, portamquè triumphii ;  
 Dicquè, Hàc ibis tu quoquè quondàm ,  
 Tum voti plenus patrias referetur ad ædes ;  
 Latus ego Pæana sonabo .

## FRANCISCO DE SANCTIS,

*Panegyricum Summi Sacerdotis Hispanicè ab eo scriptum commendat .*

## O D E XV.

**A** Eterni patris ac regis, qui sidera torquet ,  
 Mundumquè nutu concutit ,  
 Iessæus potuit vates præconia dignè  
 Cantare, rex idem & pater .  
 Ecquis Alexandrum, cui cura vicaria cæssit  
 Magni per orbem numinis ,  
 Laudârit Sanctum potius te, SANCTE, viroquè  
 Summum Sacerdotem sacro ?

Adde ,